



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Petrus Opmersensis. n. 72

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

publicos actus, ad quos religiosi conuenire solent, cum charitate inuitare & suscipere. Nec nostrorum quisquam audeat ijs publicè vel occulte detrahere. Ita refertur Par.3. Hist. Soc. lib.1.num.119.

71. A LVCA GVADIN Commissario Generali Ordinis Seraphici, viroque grauissimo, qui tantam de Religione nostra, ac Ignatio Fundatore sanctissimo opinionem conceperat, ut diceret, Senescenti Orbi fulciendo Societatem summissam: Vniulque hominis perpetuo studio vilificantis prolem Illustrem; felicitis Parentis felicem progeniem. Hæc ille in censura auri illius libelli de Gloria S. Ignatij. Et que maior Ignatij gloria, eum Religionem procreasse qua senescentem Orbem, & iam pene caducum virtutis ac doctrine fulcris sustentet.

Senescenti Orbi fulciendo de celo summissa.

Felicitis Parentis proles illustris ac felix progenies.

72. A PETRO OPMERSENSI In Probatione Missæ pag. 129. Iesuitæ (inquit) ad transmarinos, & nouas Insulas, ipsosque Antipodas (sicut & Franciscani) profecti multas gentes sua prædicatione ad Christianismum perduxerunt: Lutherani, ac alij Hæretici hunc Ordinem pessimè oderunt, quod ipsi eorum dogmata confutent, & vehementer infestentur. Ego vnum è Societate Patrem opponerem contra centum Lutheranos, ac totidem Calvinistas; in quo plus est pietatis, ac solidæ eruditionis, quàm in omnibus istis, etiam si in vnâ essent conglomerati massam. Hactenus doctissimus, ac pussimus Franciscanus in medio Germanie, & coram ipsorum Hæreticorum agminibus conglobatis. Ita refertur nouissimè à P. Gabriele de Henao Par.2. de Sacrificio Missæ. disput. 27. sect. 12. num.124.

Iesuita ad ipsos Antipodas prædicatione penetrarunt.

Quàm sint hereticis odiosi?

Vnus Iesuita contra centum Lutheranos, ac totidem Calvinistas opponendus.

In quo plus est pietatis, & eruditionis quàm in omnibus istis.